C Supinæ autem folia & radix in uino pota illitaq́, aduerſus reptilia ſerpentésue faciunt. Eadem drachmæ pondere cum thuris obolis tribus, & uini ueteris hemina, quadragenis diebus ieiuno contra regium morbum bibuntur. Vetera œdemata, & inflammationes illita mitigant. Sordida ulcera purgant. Tota autem herba in uino decocta tonſillarum cruſtas abrumpit, & oris nomas gargariſſata cohibet. Fertur ſparſo aqua triclinio qua maduerit, lætiores conuiuas fieri. Datur potandum in tertianis febribus tertium à terra geniculum cum adiacentibus foliis: quartanis, quartum.

EX GALENO.

Vim habet adeò deſiccantem ut uulnera glutinet.

EX AETIO.

Verbenaca recta ad capitis dolores ſummo præſidio eſſe teſtatur Archigenes, ſi ea coronetur patiens, aut ſi teratur cum aceto & roſaceo & illinaẽ, aut oleo decoquatur, ac foueatur caput. Nec tantum capitis dolores ſedat, ſed capillos quoq́ fluentes compeſcit. Radicis decoctum calidum ore retentum dentium dolores mitigat, ac mobiles firmat, oriſq́ ulceribus medetur. Ad colicos radices ſemicontuſas in aqua ad dimidiam decoquito, & diebus quinque decoctum potandum dato: efficaciſſimum id eſſe experientia compertum eſt. Facit & ad calculos atq́ ad inchoantem elephantiaſim, ſi cum melle propinetur. Vtere itidem ad epilepticos, & ad quotidiana, quartanáue febre laborantes. Ad podagricos uerò & coxendicũ morbo affectos uino decocta exhibetur. Succi è radice expreſſi collutio ad fiſtulas commodiſſima eſt. Et ſi mororum liquori ac melli mixtus exuratur, & acidus illinatur, fiſtulas ſanat. Poteſt etiam melle aſſumi, & fiſtulæ tanquam collyrium iniici, ac mirum in modum prodeſt.

D EX PLINIO.

Aiunt ſi aqua ſpargatur triclinio qua maduerit Verbenaca, lætiores conuictus fieri. Aduerſus ſerpentes conteritur ex uino. Omnibus uiſceribus medetur, lateribus, pulmonibus, iecinoribus, thoraci, peculiariter autem pulmonibus, & quos ab iis phthiſis tentat. Dyſenterias emendat ex aqua data carentibus febre, aut ex uino aminæo cochlearibus quinque, additis in cyathis tribus uini.

EX SYMEONE SETHI.

Verbenaca recta facit ad capitis dolores & defluentes capillos inuncta. Dentiũ dolores ſedat, & motos atq́ concuſſos cõfirmat. Oris ulcera ſanat. Decoctum eius colicos & calculoſos iuuat. Pota iis qui primum elephantia laborare incipiunt, & comitiali morbo affectis ſuccurrit. Item quotidiana & quartana laborantes ſimiliter iuuat. Podagricos uerò & coxendicis morbo captos, uulneratosq́ illita ſanat.

DE PTERIDE▸ CAP▸ CCXXVI▸

NOMINA.

Filix. Pteris cur dicta. ΠΤΕΡΙΣ, ἡ πτέρις Græcis, Filix Latinis dicitur. Officinæ latino nomine utuntur. Germanicè Waldtfarr. Pteris autem & Pterion ab alis auiũ, quarum formã in ramulis diſpoſita eius folia referunt, Græcis dicitur: pennatus enim, & pennatis foliis frutex Filix eſt.

GENERA.

Pteris. Thelypteris. Duo Filicis ſunt genera, mas ſcilicet & fœmina. Mas Græcis ſimpliciter ἄρρεν, Latinis Filix mas, Germanis Waldtfarr mennle dicitur. Fœmina Græcis θηλυπτέρις, Latinis Filix fœmina, Germanis Waldtfarr weible appellatur.

FORMA.

FILIX MAS